



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

**Polius, Jacobus**

**Herbipoli, 1652**

12. Quanto tempore S. Joachim à conjuge suâ abfuerit ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43946**

rentius ab Hansvick Capucinus Cornucopiae  
tom. 1. enarr. 4. sect. 34.

4. Appositè scopo nostro inserviunt à Bivero<sup>k</sup> tradita: *Habet suas horas Deus, in quibus conferat favores, si anticipata obsequia eam habent virtutem, ut in ipsorum gratiam Deus anticipet horam favorum.* De ordine conceptæ Virginis, loquetur §. 14. de occurso mutuo ad portam auream tractans: locum intimabit part. 2. quæst. 22.

<sup>k</sup> Biver. differt. 3. n. 50.

*Quanto tempore Ioachim ab Anna  
abfuerit? §. 12.*

**D**E quinque mensium absentia superius descriptâ testimonium tulerunt Breviarium Rom. anno 1520. Paris. editum Lect. 6. in festo S. Joachim, & aliud Rom. anno 1533. Paris. prosum lect. 7. in festo S. Annæ. Breviarium Moguntinum anno 1509. editum lect. 4. Leodiense anno 1522. Parisiis invulgatum lect. 5. de S. Anna. Hermannus Nitzsche witz pag. 3. textus psalterii B. Virginis: Joannes Baptista Mantuanus principio lib. 2. parthenices, Trithemius de miraculis B. Annæ c. 3. Amandus Xirixiensis Legendæ c. 3. Joannes Royardus hom. 1. in nat. B. Virg. Passionale Saxonicum in festo S. Annæ: Petrus Dorlandus lib. 1. c. 6. vitæ S. Annæ. Rudolphus Agricola versu 95. Anonymus Batavus: Judocus Badius Ascensus Compendii vitæ S. Annæ c. 4. Historia vitæ Salvatoris Gallica anno 1585. Lugduni

gduni per Joannem Philemotte procusa: Jacobus Feuchtius ferm. 1. de concept. & Hesselbach ferm. 10. de concept. Fontem & originem hujus traditionis, opinamur historiam primævam quæ periit, historiam duodecim tribuum, quam hactenus videre non licuit & epistolam Cyrilli, de quibus parte 2. q. 11. n. 3. plenius.

2. Joachimus Perionius natione Gallus, patriâ Cormæriacenus, ante centum annos Monasterii S. Pauli apud Cormæriacum, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis monachus, cujus, teste Wion<sup>a</sup>, in remliterariam beneficia, adeò magna sunt, ut omnem humanam mentem excedant. Is<sup>b</sup> principio vitæ B. Virg. de ejusdem parentibus hæc scribit: *Illi angeli præcepto parent, iter aggrediuntur, ad portam auream perveniunt, mutuo amplexu & aspectu se recreant, unâ revertuntur, quæ ab angelo didicerant, cum summâ voluptate vicissim exponunt: Anna nec ita multo post (neque enim plures duodecim inter absentiam & conceptum interfuerunt dies) concepit Mariam, exactisque novem mensibus peperit.* Hæc ibi:

3. Circa quantitatem temporis, quo S. Joachim in templo rejectus, mox à suâ conjugè Annâ sequestratus & elongatus extitit, duas dispares traditiones ex præmissis hausimus. Nullû certum tempus determinavit Hieronymus de ortu virginis. Prior opinio de quinque mensibus in an-

E 3

tiqui-

<sup>a</sup> VVion ligni vitæ l. 5. c. 100. <sup>b</sup> Perin. c. 4. vitæ B. Virg.

tiquitate & pluralitate auctorum fundata, etiam per rationes probabilis demonstratur infra p. 2. q. 13. & seqq. Nec tamen prorsus rejicienda videtur posterior, in qua doctissimus vir Perionius, qui à festo Encaniorum (25. Novembris) usque ad festum Conceptæ Virg. dies numerat duodecim, Prudens Lector æquâ lance ponderet singula atque quod sibi videbitur magis consentaneum eligat: siquidem non pio voluntatis selectu, aut complacentiâ propriâ, opiniones amplectimur aut fastidimus, cum in omni seriâ doctrinâ, veritas (quæ omnis à Deo est) ducatum præbere debeat.

*Angeli apparitio & promissio SS. Conjugibus facta. S. 13.*

**H**istoriam ulterius S. Antoninus hoc complexu verborum prosequitur: *Verum cum (Joachim) ibi aliquamdiu esset precibus & jejunis intentus, quâdam die (non apud caulas sed) cum esset solus, Angelus Domini cum immenso lumine asstitit & cum ad visionem turbaretur, Angelus timorem eius compescuit dicens: Noli timere Joachim, neque in visione mei turberis; Sum enim angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annunciem tibi preces tuas esse exauditas & eleemosinas tuas advenisse in conspectum eius: videns quippe vidit pudorem tuum, & audivit sterilitatis opprobrium non rectè tibi objectum: peccati namque, non nature, ultor est Deus, & c. generabis filiam & nomen eius.*